MAGNIFICO AC GENEROSO DOMINO

D. MATTHIÆ CASIMIRO

SRZENIAWA TRETER

Viro, multo rerum vſu, Prudentiâq;

EXCELLENTISSIMO

S. R. I. EQVITI AVRATO,

In Celeberrima Academia Cracouienſi

Philoſophiæ

N E C N O N

I. V. DOCTORI CLARISSIMO,

Probatâ Dudum ſuâ tam erga Regem,

quam erga Rempublicam

FIDELITATE ELECTISSIMO

S. M. R. SECRETARIO

Incorruptâ ſemper ſuâ Æquitate & Iuſtitiâ

digniſſimo

Salisfodinarum Vielicenſium

PRÆFECTO.

MOECENATI ac PATRONO

Suo optatiſsimo

HAS

PHILOSOPHIÆ RATIONALIS

Theſes vnà ſecum in æternum

Caſimiriæ Cracouienſis Die Maij 1673 Defendet à Meridie

in Templo S. Catharinæ in Comitijs Prouincialibus.

Fr. Reginaldus Kralewſki

Offer: D. D. C Cq; Fr. G. S. A.



MAGNIFICE AC GENEROSE DOMINE.

MIrentur alij, ſi qui iuxta ac ego peregrinantur Exteri, tam rara, quam varia, quæquæ vbiuis ſparſa conſpicimus Naturæ prodigia, Maris munera, Soliq́ue Cæliq́ue miracula : atq́; delectetur vnus valloſâ montes inter Pratorum, Saltuumuè amœnitate, alterq́; ſinuoſâ per nemora & campos fluuiorum iucunditate, vel etiam Syluarum in multiformes Porticus ductarum elegantiâ. Nec deſit alius, qui Ciuitatum, Vrbiumq́ue tecta cœlo ſuperba, Regia Palatia, Templauè arte Diuinâ elaborata magis ſuſpiciens, cottidiano ea fermè, ac inſaturabili perluſtrare oculo deſideret : ego [quod con-fiteri Palam non erubeſco] non Curioſitatis, at publicæ neceſſitatis, boniq́; gra-tiâ ex natali huc euocatus, vbi vel vnum me moui lapidem, hoc duxi in animum firmiter, præter Deum omnium Conditorem, Hominemq́; nobiliſſimum totius Vniuerſi compendium, nec non præſtantiſſimum Comma elegantiarum, aut con-templari aut admirari nihil: Certus ſine diſpendio tum nummi, tum temporis hoc vbiq; mihi profuturum. Eà quàpropter cum varias Terrâ Mariq; attinge-rem Oras, Regna, Prouincias, Vrbes, quibus immorari me aliquantiſper vel ſua-debat commoditas, vel vrgebat neceſſitas; nibil vnquam aggreſſus ſum priùs [can-

dide

dide omnia) quam præclarorum ibi virorum mihi procurare notitiam, conciliare accessum, ac collocutionis gratiam: vt ab his potiùs, quam à quouis ex vulgo, totius ibi Regiminis, Legis, consuetudinis, nec non Raritatum loci Peritiâ maximè instructus inde recederem. Quod quantâ mihi acciderit vtilitate, in sinu gaudens, cognoscere, Deoque ijsque Magistris, grates habêre potius, quam referre, cupio. Nec etiam requiri opinor, hoc dumtaxat, quod huic meæ harum Thesium Dedicationis Rationi opportunum censeo, relatum dabo.

Post plurimos scilicet, quos hic illic expertus sum eximiæ Eruditionis Platones, Catones, Senecas, atq; id generis viros: quos, quorumq; Doctrinam, iuxta ac Comitatem auidissimè amplexus, nomina quoq; illorum æternam ad memoriam, meorum Albo inscripsi Amicorum, Magistrorum, immo nonnunquam Parentum: Euenit tandem hoc mihi feliciùs, vbi primum attigi celeberrimam hanc totius Poloniæ Academiam, primumq; posui in templum hoc debitæ Religionis pedem, vt viderim coram insignem tuam, Magnifice Domine, quæ loquerentur vel ipsa muta (non tamen ingrata, nostris quod spero precibus.) Altaria pietatem, Deuotionemque erga Sanctos huius Templi Patronos. Deinde intrà conclaue vix introducto Exim: P. Rectoris nostri Prouincialis, mensæque admoto accessit mihi omnibus cibis suauiùs, audire inter omnes pauperis huius Cœnobij Benefactores omninò præcellere Magnificum Vestrum Liberalitatis Nomen. Regium profectò! Diuinum inquam habere & dare; nil perdens; sed Centuplum cum fænore pio recipiens. Verùm his quod Colophonem addit, mihiq; calcar, currendi citiùs in istarum tuarum (queis Deus benedicat) oscula manuum, pedumq; amplexus. Hoc deniq; est excellentissime Domine: quod tota mihi sonuit præter Academiam Vestram Sarmatia famæ singularis prorsus Vestræ Eruditionis Industriæque, quâ multis iam ab annis ipsum Alexandri Magni Magnum Magistrum, Neronis Doctorem, Natorum Constantini Præceptorem Arsenium, Cassianum, immo illum ipsum expressisti ad viuum Ecclesiastici Sapientem: De quo Sacer Textus, non secus, ac de te nos possumus referre, his verbis.

Sapientiã Antiquorũ exquisijsti sapientissime Doctor, huiusq Academiæ lumen eximiũ: narrationẽ virorum Nominatorũ, Historiasq; conseruans, in Politicarum Versutias parabolarum simul introijsti, occultaConsiliorum Regis tenens, & in absconditis secretorum Aulæ Conuersatus Dignissime Secretarie, in medio Magnatorum ministrasti; in Conspectu præsertim supremi Illius Regni Mareschalci Lubomirscij. In terram quoq; [ne quidquam desit] Alienigenarum gentium pertransiens bona & mala in hominibus tentare, neque tamen approbare docuisti eiusdem Palatini Filios. Postremò cor tuum ad inuigilandum dilucolo præcipuis Regni Thesauris, Salisfodinis tradidisti, illarum Præfectus iustissimus. Et cum adeò palam feceris disciplinam Doctrinæ tuæ, & collaudent omnes Gentes Sapientiam Tuam, vt in sæculum non delenda; sed requirenda in generationem, & generationem

tionem

tionem iure merito videatur Fama ista tua Illustrissima; quid sodes, cáne mihi cordis fibra, vt præ omnibus, quorum vnquam ambiui Illustrium virorum Notitiam, non præponam & præoccupem Vestram? posset quidem me retinere & terrere ab accessu grauis illa Vestra, ac Magnifica, non ficta Dignitas, meæque Tenuitatis verecunda Conscientia, nisi & vltro alliciens me illa tua perurbana Comitas, affabilitasq; gratiosa confidentiorem subderet animum.

Accedo itaq; ruptis pudoris Vinculis & communi RR. PP. Nostrorum Hortatu & pro more meo lubentior captandæ gratiæ vestræ supplex exorator, ac Humillimus Seruus. Si tamen munere tali nullo onustus, quo meritis correspondeam Vestris, boniq; æquiq; Consule, accipe, suscipe, omnem quem potui affectum: memor istius Catonici:

Vt desint vires, tamen est laudanda voluntas.

Est autem hominis, quod offero, excellentissimum Rationis scilicet Palladium; quod si approbas defensum tuebimur: sin improbas humiliter defendemus, Vestro quidem nomine Dignissimo, felicissimo auspicio, beneficioq; amplissimo. Adeò nolumus hoc primo Mineruæ congressu, nisi Vestro stare iudicio, & doctiores euadere Magisterio. Quod vt Obtenturos nos speramus ab eximia illâ tuâ Clementiæ benignitate: ita precabimur indies, D. O. M. dignetur Illustrem Vestram, numquam satis laudatam Dominationem tum nobis, tum toti suæ familiæ diu seruare Incolumem. Sic osculor Manus.

Generosæ ac Magnificæ Dominationis Vestræ

Atque

Offero me, meaque obsequia
in æternum consecratissima

Humillimus apud Deum pro ipsâ exorator.

Fr. GEORGIVS SALOMONS
Augustin: Indign.

PHILOSOHIÆ RATIONALIS
P A R S P R I M A.

I. Logica, eiusq; Obiectum.

LOgos interdum Verbum, interdum Rationem significat. Verbum quodlibet, de quo benè disputatur, ad Facultatem Dialecticæ pertinet, non ad Dialecticæ disciplinam: vt defensiones Ciceronis sunt quidem Rhetoricæ Facultatis; sed non his docetur ipsa Rhetorica. *Logica* disputandi, Scientia Practica: Ratio indagandæ Veritatis, formatrix, iudex, lumen Scientiarum. non ex Verbi, sed Rationis Significatione apellata est. Vnde illud, quod Græci Logicon, nos Rationale dicimus. Hæc docet docere, Hæc, realiter eadem, docet discere: in hac se Ratio tam Naturalis, quam Artificialis demonstrat, atq; aperit, quid sit, quid velit, quid valeat. Scit scire, sola scientes facere non solum vult: sed etiam potest perfectè, & totaliter. Obiectum eius materiale proximum seu formale quod, est eas Rationis formale, non quidē fictum, aut factum; sed faciendum ad modum sciendi Logicum: quem proinde formaliter habendum, vti censemus esse, Logicæ obiectum formale quo: ita quoq; habitum non dubitamus asserere, esse finem eius intrinsecum, atquè immediatum, *S. P. Aug. Rhetor.* 3. *de Categor c.* 5. *de Ord. lib.* 2. *c.* 12. *in Psalm.* 24.

II. Operationes Intellectus.

IAm verò cum ratiocinamur, Animus id agit, non enim hoc agit, nisi quod intelligit: nec corpus intelligit: quia cum intelligere vult à corpore auertitur *Abstrahendo*: cui quibusdam rebus opus est: vt oculos habeat *Apprehensionis*, vt aspiciat Veritatem *Iudicio*; ac vt videat illatam *Discursu*. Est enim Ratio quidam mentis aspectus. *Ratiocinatio* autem Rationis inquisitio, id est aspectus illius, per ea, quæ aspicienda sunt, motio. Sed hoc grandius Ænigma est vt non Videamus *præcisione, formali*, quæ non videre non possumus; Quis enim non videt cogitationem Suam? & quis videt cogitationem suam? quandoquidem Cogitatio est visio animi quædam. siue adsint, quæ oculis quoq; Corporibus Videantur; siue non adsint, & eorum Similitudines, id est species cogitatione cernantur: Siue nihil eorum, sed ea cogitantur, quæ nec corpalia sunt, nec corporalium Similitudines, sicuti & ipsa cogitatio cogitatur, per *actum reflexum & comparativum*, Significat interim conceptus omnis naturaliter, posset tamen nonnullus & ex instituto, & æquiuocè; sed nullus non significare. *de Immortal: animæ cap.* 4. *Solil. lib.* 1. *cap.* 6. *de Trinitate lib.* 15. *cap.* 1. *cap.* 9 *dequant animæ cap.* 1. *&c.* 27.

III. Ens Rationis.

NON mihi videtur debere dici intellectus, quo intelligitur ipsa stultitia, quæ nó intelligédi vel sola, vel maxima causa est. Si enim menti hoc est intelligere, quod sensui vidêre, & licet quisq; oculis apertis, sanis, purisq; sit vidêre tamen tenebras non potest, non absurde dicitur, intelli gi non posse stultitiam. Vt igitur oculis tenebras eo ipso vitamus, quo volumus non Vidê e, sic quisquis volet vitare stultitiam, non eam conetur intelligere: sed ea, quæ non possunt intellig', per hancse non debitè intelligere doleat: eamq; sibi esse præsentem, non quo magis ipsam directè intelligat: sed quo minus alia verè intelligat, sentiat. Potest vitium quoq; animæ inter nequaquam intelligibilia numerari, quamuis enim inter aurum & vi tutem sit plurimum: nihil tamen inter negationes, quas eis adiungimus, distat. Verum enim vero, peius est non esse Virtutem, quam non aurum: non tamen propter ipsas Negationes, sed propter res, quibus adiunguntur, accidere, quis non intelligat? sic quemadmodum fallitur, cum in aqua remus videtur; infractus & nauigantibus turres moueri, & alia sexcenta, quæ aliter sunt, ac videntur Quæ falsa nemo nouit, nisi cum falsa esse nouit; quod cum nouit, verum nouit, Vnde tum de his, tum de alijs Entibus Rationis Logicis: v. g. esse speciem, esse Genus, esse Vniuersale &c. quando defininntur, dicimus: mens est notionis suæ causa, quia noscibilis est reflexè. Nullum autem datur in ijs cognoscibile, quod non est possibile: adeoq. non sunt Entia ficta; sed facta intellectus aut linguæ, *De Ord.* 2. c. 3.

IV. Vniuersale in Communi.

INter hæc Entia Rationis facta recensemus Vniuersale tam in essendo, quam in prædicando: quod ante Rationis operam nullibi existit. Rerum equidem Rationes principales, quas appellat Ideas Plato; quæ sunt quædam formæ, vel Rationes rerum Stabiles atq; incommutabiles, quæ ipsæ formatæ non sunt, ac per hoc æternæ, ac semper eodem modo sese habentes, quæ in diuina intelligentia continentur; admittimus esse quid Vniuersale in repræsentando, sicuti & Nominalium nomina, Conceptusuè in Significando; sed non vt hoc, de quo solent hic agere Philosophi. Nam cum omnia Ratione sint Condita, nec tamen eâdem ratione homo, quâ Equus: Singula, igitur proprijs sunt creata Rationibus. Contra Idolum verò P. la, *Zaraga* dicit S. P. N: Patrem me habuisse, & Auum, non temere possum dicere; ipsos autem esse, quos animus meus in Phantasia, vel in Phantasmate tenet, dementissimè dixerim. Dicitur autem Vniuersale Logicum, quod sub eodem nomine, & ratione de subiectis partibus seu, inferioribus prædicatur: ad quod requiritur fundamentalis Similitudo, formalis præcisio, & Simplex Comparatio. 83 *quæst* 9. 46. *Music*. 6. c. 11. *De Cat*. c. 6. & 9.

V.

V. *Genus & Species.*

DEfinitur *Genus*, quod ſecundùm multa & differentia, quid ſit, Speciè oſtendi, ſiue tranſitiuè ſiue intranſitiuè, aut ſignificari poteſt; vt totum potentiale, Simul & vt pars materialis Logica; dum actu prædicatur: qualis eſſe non poteſt in vnica Specie poſſibili. Genus autem à parte rei immediatè indiuiduari implicare cenſemus: de indiuiduis verò incompletis prædicatur immediatè, & vt ſpecies. *Species* autem eſt, quam quidam & formam vocant, quæ ſecundùm multa & differentia, quid ſit numero prædicatur: Vt tota eſſentia Logica; fruſtra addit, *Ariaga*, immediatè: Vt homo de aliquo homine prædicatur: qui numerum in ſeipſo continet, id eſt, hic primus, ille ſecundus, iſte tertius: non inuenitur verò prædicabilis in vnico indiuiduo, tantum poſſibili. Videndum eſt etiam; ne quam Speciem ſolam tantum putamus, eadem [ſc: ſubalterna] ſit & Genus; vt ſi quis animal dixerit, dixit & Genus: deinde ſi dicit hominem, Equum, Piſcem, ſolas ſpecies eſſe infimas: Piſcis autem, & auis, Genera & Species. Non enim vna forma eſt auium, & piſcium. Illa autem quæ ſolæ ſpecies ſunt, virtute prædicationis, Vſiæ ſunt, id eſt, primæ ſubſtantiæ ſeu ſingularia, quæ præter naturam Logicè ſpecificam, Metaphyſicè dicunt differentiam indiuidualem. *De Categ. c. 7. 9. &c.*

VI. *Indiuiduum.*

HIs ita compoſitis, ea quæ mente Concepta ſignari & demonſtrari poſſunt aggreſſus Ariſtoteles; ne eadem, ad docendum nomina repetantur; ac ſæpè accidat, vt vel Hortenſij, vel alterius hominis, vel ſuperiùs animalis, vel excelſius vſiæ frequentata exempla in faſtidium reciderent, alia his Vocabula, quibus ad diſſerendum Philoſophi vterentur, inflexit. Itaq; Hortenſium, & nucis Arborem, & Equum Xanthum, & his ſimilia Æſteta, Atoma, Enarithma, Catecaſta vocauit. Æſteta quod tactu ſentiantur, Atoma quod diuidi & ſecari nequeant. Quis enim credat, Hortenſium cædi poſſe per partes Logicas, Phyſicas, aut Metaphyſicas? puod ſi fiat, Hortenſius iam non erit. Enarithma, quod ſint numeri vnius. Catecaſta, quod ſingularia. Neque enim hæc in vno quouis geminari poſſunt primo intentionaliter ſumpta: licet à ſecundò intentionalitèr ſumptis poſſit formalitèr abſtrahi vna ratio Communis. Indiuiduum aliud determinatum: aliud Vagum: hoc licet prædicari poſſit formaliter, non tamen vniuerſaliter: neq; enim homo dici poſſet, niſi eſſet aliquis, de quo diceretur. *Ibidem c 1. 2, &c.*

VII Differentia.

Differentia verò est quæ secundùm multa & differentia, non quid sit; sed quale sic, Specie prædicatur; vt pars formalis essentialis Logica. Verum vt Genus nullum est, quod non habeat differentiam: Sic nec Differentiam intelligere debemus, quæ species non habebit. Vt nigrum & Album non habent Differentiam proprijssimam Logicam, quod ex se Species non emittant; quæ enim alia Species inueniri potest albi vel nigri? definitur igitur hic Differentia tantum subalterna, non infima. Sed hæc tamen ex illâ facile colligitur. Differentia equidem in genere à Porphyrio rectè & adæquatè diuiditur in Communem, Propriam, & Proprijssimam: Item, in specificam & Genericam. Certum est quoq; inuicem sibi coniunctis generibus, easdem & Differentias & Species inueniri; quia Superiora inferioribus includuntur: in diuersis autem Generibus hoc prouenire non posse. *De Categ. Cap. 7. &c,*

VIII. Proprium & Accidens.

Similiter prosequitur cætera (sc. Arist. inquit D. Aug:) demonstrans quædam inesse Vsiæ, quæ sola & omnis habeat: quædam quæ sola, & non omnis: quædam, quæ omnis & non sola: quædam, quæ nec sola nec omnis. Proprium aliud Logicum, aliud Physicum. Logicum est quod non indicat quid esse rei: Soli autem inest, & conuersim prædicatur. Manifestum, est autem, quoniam Accidens nihil prohibet & aliquando, & ad aliquid Proprium fieri. Simpliciter autem Proprium non erit, Dicitur quartum prædicabile; sicuti, & Differentia tertium, non in Ordine ad Genus, aut Speciem: sed in Ordine ad inferiora seu indiuidua, quatenus Speciem vel Genus participantia. Verum ne aliquid non apertum præterire Aristoteles existimaretur, voluit definire, quid esset Accidens. Definitur ergò in Subiecto, quod in in altero est aliquo, non vt pars sit quædam. Neque sine eo, in quo est, potest vnquam esse. Quod Logicè intellectum & in Concreto explicatum, Quintum prædicabile nuncupari solet. *Ibid: c. 6. 7. 9.*

IX. Impedimenta intelligentiæ; Ambigua ac obscura

Nunc propter Veritatem diiudicandam, quod Dialectica profitetur, quæ Impedimenta nascantur; videamus. Impedimenta enim nascuntur ex difficultate intelligentiæ, quæ multa intelliguntur: quia in vno eodem Verbo, per se prolato, magna est aut Obscuritas aut Ambiguitas. Inter Obscurum & Ambiguum hoc interest; quod in Ambigno plura se ostendant; quorum quid potius accipiendum sit ignoratur: In Obscuro autem nihil aut parum quod attendatur,

appa-

apparet. Sed vbi parum est quod apparet, Obscurum est Ambiguo Simile. Sunt Obscurorum Genera tria. Vnum est quod sensui patet, & animo clausum est. Alterum genus vbi res animo pateret, nisi sensui clauderetur. Tertium Genus est, in quo etiam sensui absconditur: quod Genus est omnium Obscurissimum. Ambiguitatũ Genera duo sunt, vnũ in ijs, quæ dicuntur; alterum quod in ijs solis, quæ scribuntur, dubitationem facit. Primum Genus rursus in duo diuiditur. Nã quidquid dicitur & per plura intelligi potest, eadem plura aut vno vocabulo & vna interpretatione: aut tantum vno tenentur Vocabulo, sed diuersis expeditionibus explicantur. *De Principijs Dialecticæ c. 8. &c.*

X. *Vniuoca, æquiuoca.*

VNiuoca nominantur ea, quæ vna definitio potest includere. Æquiuoci nomen est illis, quæ sub vno nomine necesse est definire diuersè Æquiuocorum Genera tria sunt: Vnum ab Arte, Alterum ab vsu, Tertium ab vtroque. Primum Genus rursus in duo diuiditur, Quod enim ex arte Verborum facit Ambiguitatem, partim sub exemplo esse potest, partim non potest. Cum enim definio quid significet nomen, possum hoc ipsum Exempli gratia supponere, quod dico nomen vtique nomen est. At verò cum definitur Aduerbium quid significet, non possum huius ipsum Exempli ponere: Etenim cum Aduerbium dicimus hoc ipsum nomen est. Potest igitur ab Arte nomen sumi materialiter & formaliter. Secundum Genus sc: Æquiuoca ab vsu, aut ex eadem Origine veniunt, aut ex diuersa. Item aut fortuitò fiunt, aut hominum voluntate. Fortuitò fiunt enim, cum quodam Casu simile quis alteri nomen accipit. Voluntate cum similitudo nominis ex industria imponentis affigitur. Horum autem, quæ industriâ vel voluntate nascuntur Quatuor sunt Genera, Similitudo, ProPortio, Ab vno, Ad vnum. Similitudo est, vt Homo pictus, & verus in sola similitudine copulantur. Proportio est, quod Analogiam Græci vocant; vt quo pacto principium Animalis cor dicimus; Ita principium aquæ fontem dicamus. Proportio enim sui similitudo nominis videtur adiuncta. Ab vno est, cum dicimus à Medicinâ Medicinale ferramentum &c. Ad vnum est, vt illa potio Salubris est, ille Medicus Salubris est, Hæc enim cuncta vnum, id est, Salutem videntur attingere *Ibid. c. 8. 9. & 10.*

XI. *Paronyma & Polyonyma.*

PAronyma in Hymonymorum, & Synonymorum medio constituta, sic dici nequeunt, nisi habuerint vtrorumque contractum, id est, nisi & nomen Homonymorum, & negotium Synonymorum videantur habere commune: vt à Sapiente Sapientem Propterea recte Paronymum dictum est; quod aliunde nomen acce-

acceperit. Verum ne eadem videantur Paronyma & Homonyma, quæ ab vno dicuntur, hanc Differentiam debemus agnoſcere, quod ipſa Paronyma inter ſe quidem propter ſimilitudinem Nominis Homonyma ſunt. Illius tamen rei Paronyma dicuntur, vnde nomen acceperint: V. Homo Sapiens & Sapiens Conſilium inter ſe Homonyma ſunt, ipſius verò Sapientiæ Paronyma. Obſeruari tamen oportet, vt communicationem vltimæ Syllabæ habeant. Nam ſi dicamus à Sapientia verba Sapientia Paronymi excluſa eſt nuncupatio. Polyonyma ſunt, cum multa nomina vnam rem ſignificant, neq; vlla differentiæ nominum redditur ratio, vt Enſis Mucro &c. Heteronyma à multis æquè nominibus res ſingulas tenent, *De Categ. c. 2. 4.*

XII. Ante-Prædicamenta.

EX his quæ ſunt, alia de ſubiecto ſignificantur, & in ſubiecto non ſunt: vt homo; de ſubiecto quidem ſignificatur aliquo homine: in ſubiecto autem nullo eſt, cum ipſe ſit Vſia: Alia veró nec in ſubiecto ſunt, nec de ſubiecto ſignificantur: vt eſt Cicero: Alia quæ in ſubiecto ſunt, & ſignificantur de ſubiecto, vt eſt Scientia & color: Alia veró ſunt, quæ in ſubiecto quidem ſunt; ſed de Subiecto minimè ſignificantur, vt Grammatica Plerique mouere adſolent quæſtionem de quibus magis Ariſtoteles voluit inchoare tractatum: ſed vt Themiſtio noſtræ ætatis erudito Philoſopho placet, de his tractare incipit, quæ percipiuntur, quæq; ipſe vocat græco nomine Phantaſias, id eſt, Imagines rerum inſidentes animo. Verum cum de perceptis propoſuerit diſputare, & de ijs, quæ ſunt, & de eis quæ dicuntur, neceſſariò locuturus eſt. *Ibid. c. 6. 8. 9.*

XIII. Prædicamenta.

SVnt Categoriæ decem, quarum prima Vſia eſt, ſupra quam nil eſt, & quæ nouem cæteras ſuſtinet: & quoniam in permanente Vſia ea, quæ accidunt, in eſſe noſcuntur, ipſam Vſiam ypokimenon, id eſt, Subiacens, & non in Subiecto appellari voluèrunt. Sine dubio tamen illud oportet agnoſci: vt ſicut potiorem Vſiam Accidentibus dicimus; ſic potiùs Atoma id eſt hunc hominem ijs, quæ fuerint Communia iudicare. Eſt igitur Vſia propriè & principalitèr dicta, quæ neque in Subiecto ſignificatur, vt hic homo. Secundæ autem Subſtantiæ idcirco dictæ ſunt Genus & Species: quod ſolæ indicent primam. Appellatas verò Categorias conſtat, propterea quod non poſſunt, niſi ex ſubiectis agnoſci. Quis enim quid ſit homo, poſſit agnoſcere, niſi aliquem ſibi hominem ponat ante oculos, quaſi ſubiectum homini. Ex Accidentibus alia in ipsâ Vſiâ ſunt, alia extra: alia partim intra, partim extra. Qualitas, Quantitas, & Iacere in ipſa Vſia ſunt: Vbi Quan-

dō

do, Habêre, ab vsia separata sunt. Alia sunt Communia, id est, intra & extra vsiam sc: Ad aliquid, & facere & Pati. Ad aliquid Vg. magis & minus: Vtraq; enim dici non possunt nisi coniuncto altero, quo magis sit vel minus. Propterea ergò Vnum in se habet, aliud extra se. Item Facere intra est & extra: Vt cædere quisquam non potest dici, nisi alterum cædat. Pati Similiter &c. *De 6. Categ. cap. 1. 5. 8. 9. &c.*

XIV. Postprædicamenta.

OPpsitorum Species quatnor sunt: opponitur namque aliud alteri; primo, aut Figurâ eius Categoriæ, quæ ad aliquid dicitur: secundo, aut contrariorum modò: tertio aut eorum, quorum circa nos esse dicitur vel habitus vel priuatio. Habitum sane hoc loco ex habendo debemus accipere: non vt in superioribus definivimus; esse habitum affectionem animi quandam sempiternam: quarto modo, cum aut confirmamus aliquid vel negamus. Discretio verò Contrariorum, & eorum, quæ dicuntur Ad Aliquid, contemplantibus manifesta est. Ad Aliquid enim dicta de sibi oppositis nominantur: simplum namque oppositum dupli est & duplum oppositum simpli. Contraria verò, id quod dicuntur, ex se habent, neq; alterius indigent. Quis enim malum boni dixerit, aut quis bonum mali? hæc est ergò harum duarum Specierum, quæ ex Oppositis veniunt, dilucida, & clara Discretio. Ipsa verò Contraria in Tres Species Diuiduntur: aut enim Mediata sunt? id est, habeat aliquid inter se medium: aut sine medio: aut vt in quibusdam reperit ratio; sed eius vocabulum non apparet, nisi vtriusq; Oppositi negatione consistat. Mediata ergò sunt hæc, album, & nigrum, inter quæ pallidum, vel fuscum. Quæ vero mediata sunt, non necesse est, vnum de duobus Oppositis in corpore reperiri. At verò ex his Oppositis, quæ mediata non sunt, vnum necesse est accidere de duobus, vt est salus, & Ægritudo. At illa, quibus est quidem medium, sed carent nomine, nisi huius Oppositorum negatione formentur, sicut hæc, iustus, & iniustus: est aliquid in medio; sed non habet nomen atque ideo vtriusque Oppositi negatio ei vocabulum creat: vt nec iustum, nec iniustum Dicamus tû Quod Est Medium. Nunc ea opposita, quæ per Habitum, Priuationemque fiunt, diligentius retractemus. In his namque Obseruari Oportet vt fiat vtraque in Eodem negotio, in eodem loco, in opportuno tempore. In eodem Neg[o]tio sunt cæcitas, & visio: in videndo enim; & in non videndo consistunt Et in eodem Loco sunt, vtrique namque, in oculis locus est, Maxime tamen in his oportunitas temporis quæritur: nemo enim recte caluus dicitur, nisi eo tempore, quo capillos habere debuerit, non habebit. Inter hæc meminisse nos conuenit, aliud esse visionem, & cæcitatem; aliud habere visionem, & ea esse priuatum. Etenim si esset idem cæcus, & cæcitas, de vno vtraque & dicerentur Dicimus autem hominem cæcum; sed homo dici cæcitas non potest. Nec affirmatio & negatio idem est, quod sunt sub Affirmatione, Negationeq; cadentia *De Cat. c. 18.*

XV.

XV. De Priori.

QVinq; Modis aliud altero Prius dicitur: quorum PRIMVS est, cum dicimus aliquem tempore seniorem. SECVNDVS est, in quo aliquid nascitur ex Priori; vt est vnũ naturaliter prius duobus. TERTIO modo Ordo quidam prius alterum altero facit, vt in disciplinis. QVARTVS verò modus non est multum probabilis & ab ipso Aristotele improbatus exponitur: vt cum fortunâ meliores priores vulgus adsolet dicere. Sed occultior quidam QVINTVS adiungitur, quoties ex duobus, quæ in se inuicem conuertuntur, illud est potius, quod alterum esse facit: vt e. g. si est homo, recte dicimus eum: animal rationale mortale, risus capax. Et si vera est hominis ista definitio, esse hominem verum est. Sed quoniam definitio vera esse non poterat, nisi prius natura hominis appareret, idcirco ex his duobus homo prioris locum obtinet. *ibidem Cap.* 19.

XVI. De simul.

SImul *autem* dicuntur Tribus Modis: cum quælibet simul existunt vno tempore, sicut calor, & splendor in sole. SECVNDVS locus est eorum, quæ naturaliter simul sunt; nullum tamen eorum præstat alteri: vt v. g. si simplum; & duplũ ponamus necesse est, simul esse naturaliter: sed neq; duplum facit, vt simplum sit, neq; simplum efficit duplum. Hoc loco nos confundere non oportet, ne quoniam cum de Ad aliquid dictis tractaremus id esse Ad Aliquid diximus, quod penderet ex Altero, videamur nunc contra superius definita tractare: omnia namque Ad Aliquid dicta Dici Ex Altero, non esse ex altero disputauimus. Tertius locus est, quoties ex eodem genere manantia simul videntur esse Naturâ, sed specie discernuntur; neque verò in eo, quod dicuntur ad aliquid, sibi præstant aliquid, vt est animal, idem genus est, sed species longe discreta. Non verò aut aquatile quicquam pedestri tribuit, vt sit aut volatili pedestre: sed simul omnia ab animali, id est ab vno genere orta, nascuntur. *Ibidem Cap.* 20.

A. M. D. Deiparæ, eiusq; Sponsi S. Iosephi Honorem & Gloriam.